

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Ad Festivitatem S. Natalitiorum Christi, In Templo Academico Solenniter Celebrandam, Proceres & Cives Academicos ...

Fleischer, Christoph

Lipsiae, [1705?]

VD18 90816528

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200597



Ulm multa in divinis literis my-
steria a benignissimo & sapientissimo
DEO, mortalibus revelata extent,
tum majus nullum sanctaque venera-
tione dignius eo est, quod Apostolus
1. *Timoth. III, 16.* admirabundus præ-
dicat: **DEUS MANIFESTATUS
EST IN CARNE:** Hoc enim ipse,
ὁμολογούμενος μέγα τὸ τῆς εὐσε-
βείας μυστήριον appellat. Et sane longe maximum est, quod
omnem captum humanum transcendit, sive **DOMINUM
MANIFESTATUM IN CARNE**, sive *manifestationis
MODUM*, sive **FINEM** ejusque **FRUCTUM** pie contem-
plamur. **DOMINUS** quippe ille est **DEUS** æternus, immen-
sus, qui omnia replet, quæ in cælo & in terra sunt, ac per natu-
ram invisibilis, conspicuus factus est in carne. Hic est Filius
DEI Patris unigenitus ex essentia ejus ante secula natus, ma-
gnus **DEUS** *Tit. II, 13.* qui est *supra omnia DEus benedictus in se-*
cula: Amen! Rom. IX, 5. Nam Apostolus hic talia prædicata de
DEO manifestato in carne consignavit; (quod *sit iustifi-*
catus in spiritu, conspectus ab Angelis, prædicatus gentibus, fides
illi habita in mundo, sursum receptus in gloriam) qualia prædi-
cata neutiquam de DEO Patre hic dici possunt. At Filio,
qui DEus de DEO, lumen de lumine, DEus verus de DEO ve-
ro, in Symbolo Niceno dicitur, illa omnia juxta **S. Scripturæ** te-
stimonia competunt. Quod cum doctissimo *Jacobo Godofredo*
in Exercit. Sacra de Incarnatione Christi, omnes saniores interpre-
tes hujus loci Paulini contra Socinianos dudum evicerunt. Ma-
nifesta etiam de eo alia divina testimonia sunt: Johannes enim
c. I, 14. diserte scribit, *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο* *verbum caro fa-*
ctum

Deum est; vel ut *i. Epist. IV, 2.* clarius loquitur: *Jesus Christus in carne vel in carnem venit*; ac adeo *ἐνσαρκος* adparuit, ut ab hominibus videretur, quod de DEO Patre dici nequit; quippe qui in luce inaccessa habitat ac a nullo mortalium in hac vita videri potest, *i. Timoth. VI, 16.* Autore quidem *τῆς ἀκνοουσίας* (ut Græci Patres mysterium incarnationis appellare solent) DEUS Triunus est; sed observato juxta S. Scripturam, Personarum divinarum ordine, modoque agendi distincto. Pater quippe est Rex desponsator, qui, ut *Dannhauerus* mysterium hoc magnum ex *Matth. XXII, 1.* in *Hodof. Christ. Phenom. VIII.* egregie declarat, donavit, & ex communi SS. Trinitatis consilio, beneplacito ac decreto *misi Filium suum factum ex muliere Galat. IV, 4.* Ab illo enim mittitur Filius, a quo emanat, dicit Augustinus *l. IV. de Trinit. c. 20.* Filius est sponsus assumens carnem *terminative*, per hypostasim, quæ ipsi propria est. Sponsa est Caro, *i. Joh. I, 14.* Vel clarius, humana natura, carnis titulo indigitata ad significandam tum consanguinitatem, tum humilitatem a carne distinctam, ut Immanuel & Frater noster esset. Paranympus & copulator Spiritus S. est *Luc. I, 15.* Quod magnum omnino pietatis mysterium est, ac rationis humanæ & Angelicæ intelligentiam longe superat. Quapropter Lutherus noster *Tom. 2. Isleb. f. 441.* rationem heic sub obsequium fidei captivandam svadet: *Zwar die Vernunft, ait, stösset sich an diesen Artikel, wenn sie ihn messen und fassen will mit ihrer Klugheit, gedencet, in der Gottheit ist ein einzig unzertrennlich Wesen, wie kan die mittel Person Mensch werden, und nicht alle drey? Ich wolte auch so klug seyn, als irgend ein Reher, wenn ich diese Worte, das Wort ward Fleisch, meines Gefallens wolte meistern. Es heist gegläub, nicht gesehen oder gegriffen. Media igitur SS. Trinitatis persona caro facta est, quia DEum inter & homines mediator esse voluit, i. Timoth. II, 5.* Hoc mysterium Apostolus *Rom. XVI, 25.* a temporibus seculorum tacitum, & *i. Cor. II, 7.* ἀποκρυφθέντες πρὸς τὸν αἰῶνα, & *Ephes. III, 9.* τὸ πρὸς τὸν αἰῶνα appellat. Cujus magnitudinem auget manifestationis modus, qui variis constat actibus, quorum S. Scriptura in illo explanando facit mentionem.

24
 25

Christus ipse hanc *Joh. III, 13. descensionem ex caelo* nominat: quæ
 non localis fuit; cum Christus post descensum in terra collo-
 cutus Nicodemo, se in caelo esse dixit; Sed *Φανερασις ἐν
 σαρκί*, vel *παρσία ἐνσαρκος*, & præsentiae suæ in carne sin-
 gularissima manifestatio. Menzerus id bene interpretatur: De-
 scendere de caelo, cum de Filio DEI dicitur, exposuit Synodus Ni-
 cæna, *FIERI HOMINEM*: alii venire in mundum, seu mani-
 festari in carne, vel venire in carne, vel assumere semen Abrahæ.
 Adventus ergo Christi in carnem *Psal. XL, 8. 1. Job. IV, 2* cum
 descensu ejus conjunctus est. Cujus initium est conceptio se-
 minis in utero B. Virginis miraculosa, qua facta, unio duarum na-
 turarum secuta est, *Joh. I, 14. Galat. IV, 4*. Nam ὁ λόγος, Filius DEI
 in suam hypostasin carnem vel humanam naturam assumpsit, ut
 communicata carni divina hypostasi, *κείνωια* naturarum in-
 ter se ac idiomatum simul fieret. Quæ omnia, sic cogitamus,
 magnum pietatis mysterium arguunt. Græci Patres, qui in eo
 describendo alias diserti sunt, uno *ἐνσαρκώσεως* vel *ἐνανθρωπή-
 σεως* vocabulo illos actus comprehendunt. Innuunt vero actum
 divinum miraculosum, quo Filius DEI, ex substantia B. Virgi-
 nis Mariæ sanguine per *θαυμάσιον ἀγιασμόν* purificato,
 & per *θείαν δύναμιν* formata inde humana natura, carnem
 ineffabili modo assumpsit, ac per infinitam subsistentiam, divi-
 nam suam naturam cum humana univit, homoque factus &
 natus est; ut ex divino decreto opus redemptionis perageret.
 Atque hoc est illud *Φανερώσεως* vel magnum *ἐπιφανείας* my-
 sterium, quod Apostolus etiam *2. Cor. V, 19. & 2. Timoth. I, 10.*
 prædicat: *Gratiam in Christo Jesu nobis datam ante tempora se-
 cularia, nunc manifestam esse διὰ τῆς ἐπιφανείας τῆς Σωτῆρος
 ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*. ubi Theodoretus monet, per *ἐπιφάνειαν*
 intelligi, τὴν ἐνανθρώπησιν, eodem sensu Paulus *Tit. II, 11.*
 scribit, *ἐπιφάνη ἡ χάρις*. Quod Ignatius etiam Epist. ad
 Magnesianos fecit: *πρὸ αἰώνων ὡς πατὴρ ἦν, καὶ ἐν τέλει
 ἐφάνη*, unde recte Suidas vocabulum *ἐπιφανείας* exponit: ἡ τῆς
Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐνσαρκῆς οἰκονομία. Quomodo
 etiam Eusebius in *Demonstr. Evang. sæpius, & H. E. I, 1. ἐνσαρκον
 ἐπιφάνειαν*, pro Christi nativitate usurpavit. Alii Patres *θεο-
 φάνειαν*

Φάειαν vel τὰ Θεόφαια dixerunt. Ita Gregorius Nazianzenus Orat. XXXVIII. f. 613. sequ. τὰ Θεόφαια, per τὰ γινώσκια τῆ Σατῆρ. exponit, quod Basilus M. Orat. XXV. etiam fecit: Nos quoque ait, letitiam voce exprimamus: nomen sisto nostro imponamus Θεόφαια: celebremus τὰ σωτήρια τῆ κοσμοῦ, τῇ γενέθλιον ἡμέραν τῆς ἀνθρωπότητ.

Mysterii huius magnitudinem porro per quinque elogia mysterii plena Apostolus explanat. Quæ supra laudatus Jac. Godofredus l. c. per ἀντίθεσιν aut perpetuam allusionem ad mysteria Græcorum, quæ Eleusinia vocantur, erudite declarat. Sed nos præteritis gentilium fabulis falsoque jactatis mysteriis, hæc quæ Paulus ad modum manifestationis mysteriose refert atque prædicat, paucis tantum illustrabimus: ut FINEM & FRUCTUM ejus rectius deinde intelligamus, DEOque nostram vicissim εὐσεβείας testemur; cum pietatis sit mysterium. Non satis quippe videbatur Apostolo dixisse, DEum in carne manifestatum, oculis visum & sensibus exhibitum fuisse; cum excipi potuisset; DEum in carne non fuisse aspectabilem, in qua tamen fuisse dicatur: Apostolus hinc in sequentibus κέλοις, mysterii huius veritatem & μεγαλειότητα demonstrat. Et primo quidem, quod DEus in carne manifestatus, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι Justificatus sit in Spiritu. Patres quidam, ut Theodoretus, Primasius, Sedulius, alii, vocem ἐδικαιώθη, pro eo, qui justus effectus est, & vocem πνεύματος pro Spiritu s. accipiunt; ac si Christus, licet carne assumpta, non assumeret carnis vitia, sed momento incarnationis statim justificatus ac ab omni culpa immunis fuerit. At justificandi vox hoc sensu a Christi sanctitate est aliena; quia Christus ipsa sanctitas est, ac justitiæ & sanctitatis approbatione apud DEum haut indiguit, Ebr. VII, 26. Enimvero vox δικαιώσαι hic non sensu forensi, pro δίκαιον καθίστασαι justum atque immunem à culpa judicari notat; sed iusta seu plena probatio, contestatio & demonstratio, seu documentum de rei veritate, eadem hic significatur; unde Hieronymus recte ἐδικαιώθη explicat; demonstratum est, ut sensus sit: Christum DEum verum δικαιώσαι, id est, iuste, verissime ostendi ac demonstrari, idque iustis atque vali-

dis argumentis & documentis iusta demonstrationis vel actus genere. Nam *δικαιον* & *justum* apud Atticos & Latinos quandoq; notare τὸ ἀληθές, græce doctis non ignotum est. Sic *justa probatio* pro legitima probatione accipitur, & *δικαίωμα* legitimum experimentum & probationem causæ notat. Verbum inde *δικαίωσαι* & apud profanos & sacros scriptores etiam rei alicujus probationem & fidei demonstrationem significat. Itaque *DEus justificatus in spiritu*, idem est, ac iuste & legitime probatus & demonstratus, palamque factus est, quod in carne manifestatus ac comprobatus, & agnitus sit ἐν πνεύματι in *Spiritu*, id est, *spiritualiter*, intellectu & sublimiori mente a Spiritu S. illuminata, quæ 1. Cor. II, 4. ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως dicitur. Hinc nonnulli interpretes *Spiritum* interpretantur; *Spiritus S. testimonium*, quo Christus verus Messias declaratus atque a fidelibus, qui oculos mentis illuminatos a Spiritu S. habent, agnitus sit. Apostolus inde novum mysterii argumentum adducit: ὡφθην ἀγγέλοις *DEus manifestatus in carne visus fuit ab Angelis*. Hi enim mysterii hujus epoptæ ac testes certissimi sunt. Ante dixerat Apostolus, Christum incarnatum, verum esse *DEum* probatum in Spiritu seu mentibus hominum Spiritu *DEi* afflatis seu illuminatis: Nunc ait, eum visum ab Angelis: quia, ut *Theodoretus* h.l. interpretatur, Angeli, qui invisibilem divinitatis naturam nec ipsi viderunt, incarnatum *DEum* vidissent; cum ante splendorem divinitatis ferre non potuissent; jam verò ceu epoptas hujus mysterii, nova ac velut experimentalis & intensiva notitia collostratos fuisse. Hinc illa Angelorum de *DEo* incarnato annunciatio, cum ab illis conspectus fuisset tum natus; hinc eorum assiduum ministerium Christo in statu exinanitionis præstitum, atque post resurrectionem etiam in statu exaltationis continuatum, cum assumptum in cælum eum comitati sint. Unde nullum dubium, peculiari etiam & glorioso quodam aspectu & cognitionis gradu Θεάνθρωπον Angelis exhibitum atque ab his visum esse. quo etiam 1. Petr. I, 12. Apostolum respexisse, Theologi passim tradunt. Magnitudinem ergo hujus mysterii Apostolus ulterius extollit, quando addit: ἐκ ηὐχθῆ ἐν ἔθνεσι, *gentibus prædicatus*; puta, per divinos præcones

cones seu Apostolos. Quos inter Paulus præcipuus fuit, *Gal. II, 2. Coloss. I, 27.* Videbantur gentes in tenebris a DEO de relictæ *Ephes. II, 12. Coloss. I, 21.* At Christo nato & ipsis prædicato, nova lux in exorta est. Quod sane mysterium est, ut ipse Petrus *Act. X, 34. seqq.* agnoscit. Quare Paulus superaddit; ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, *in mundo creditus.* Nempe ut prædicatio Evangelii cognitionem præcedit, ita hanc fides sequitur, *Rom. X, 8. seqq.* Qua propter non solum hoc mysterium omnibus gentibus, quæ per *mundum* intelliguntur, prædicatum fuit; sed etiam illæ propter Evangelii efficaciam, istud magnum mysterium fide amplexæ sunt. Quod exoravit Christus *Joh. XVII, 20. Rom. I, 10. Coloss. I, 6.* Mysterium hoc postremo Apostolus cit. loc. claudit: ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, *receptus DEUS incarnatus est in gloria*, h. e. post resurrectionem consummato in terris Redemptoris officio, in cælos ad gloriam adscendit & ad dextram Patris sedens, omnia, quæ in cælo & terra sunt, gubernat, *Ephes. IV, 10.* ô magnum pietatis mysterium! cujus FINIS & FRUCTUS cælum & terram exhilarat. Nam λύτρωσις pro peccatis & eorum poenis omnium hominum in carne exsoluto, invisum genus humanum DEO iterum reconciliavit. Quod fieri non potuisset, nisi in carne manifestatus fuisset, ac sanguine suo effuso homines redemisset, *Psal. XL, 7. seqq. Ebr. X, 7. Act. XX, 28.* FINIS ergo est salus generis humani ab ipso reparata. Cujus FRUCTUS in divinis literis partitim describuntur & prædicantur. Quales sunt *unio nostrum cum DEO*, a quo per peccatum alieni facti eramus. Hoc nomen Christo a Propheta tributum, IMMANUEL indicat *Es. VII, 14.* Impletio legis divinæ pro nobis præstita, *Galat. IV, 4.* & merito ejus æterna salus acquisita *Matth. I, 21. Luc. II, 10. Joh. III, 16.* Liberatio nostra e potestate Satanæ *Genes. III, 15. 1. Joh. IV.* Donatio meriti sui nobis per fidem imputandi *Rom. III, 24. 25. 28. Joh. I, 16.* inde pax inter DEum & homines conciliata, quam Angeli de cantant, *Luc. II, 14.* Hinc regnum Christi in terris novum constitutum est, quo de *2. Sam. VII, 12. Es. IX, 6. 9. Jerem. XXIII, 5, 6.* prædictum fuit. Quis hosce fructus magni illius myste-

24
25
26

mysterii omnes paucis describat, aut exprimat? Nostrum vero est, in hac magna festivitate illud pietatis mysterium pie meditari, admirari ac venerari; ut fructus illius compotes evadamus, ac mysterium ἀνομιᾶς & iniquitatis vitare addiscamus. Pietas enim, ut recte *Chrysostomus* ex Paulo docet, requirit in DEUM πίστιν καθαρὰν fidem puram, & ὁρθὸν βίον rectam & sanctam vitam, in qua Christiana orthodoxia vera consistit; qua veri Christiani & orthodoxi a cœca & impia hominum turba discernuntur. Nam quisquis nomen Christi in carne manifestati nominat aut profitetur, ab injustitia abscedere Christoque vivere debet 2. *Timoth. III, 19.* ut Christus in ipso manifestetur & incarnationis fructus in se quoque sentiat. Præsertim cum tempus instet, quo Christus receptus in gloria, novæque illustri ἐπιφάνεια venturus sit ad iudicium, ut cuique reddat secundum opera sua, *Rom. II, 6.* De qua Apostolus 2. *Thessalon. II, 8.* 1. *Timoth. VI, 14.* *Tit. II, 13.* iridem vaticinatus est. Ergo fide & spe roborati, corda nostra piis precibus & hymnis preparemus; ut dignis Christiano modis festum hoc magnum celebremus. Ulteriorem ansam piis meditationibus suggeret nobilissimus Vir - juvenis M. Jo. Gothofredus *Olearius*, *Leucopetr. Misnicus*, *Theologia cultor eximius*: qui mysterii hujus magnitudinem in V. T. typis latentis, nunc autem manifestati, docta oratione in umbone Templi Academici explicabit, & ad illam pie celebrandam faventes auditores excitabit. Quapropter Vos hujus Academiae & Urbis PROCERES, CIVESQUE ERUDITOS omnes, qua par est humanitate, compello, rogoque, dignemini DEO in carne manifestato vestrapietatem, Oratori vero laudato honorem per semihorulam auscultando adprobare. P. P. Lipsiæ XXIV. Dec. Anno Reparatae salutis MDCCV.

L I P S I Æ,

Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.